

§. 4.

In iis autem quæ aliis præcipiebant Apostoli, ipsi suo præibant exemplo. Cum unanimiter una cum aliis essent congregati, dubitandum non est, eos precibus junxisse divini verbi lectionem, in illis sese invicem confirmantes, quæ in Prophetarum scriptis invenerant. Sciebant hæc non esse *μύθος σοφοποιημένους* sed *λόγια τῷ Θεῷ* & firmum propheticum verbum 2. Petr. I. 16. 19. in quibus viam ad Christum inveniunt, Joh. V. 39. quæ instruant ad vitam æternam per fidem. 2. Tim. III. 15. Sciebant hanc normam esse, ad quam omnis doctrina examinari debeat; quæ congruunt retinenda, quæ adversantur, rejicienda esse. Provocarunt ergo ad scripturam, quoties, præsertim cum Judæis, apud quos magna jam erat V. Testamenti fides & auctoritas, incidebat disputatio. Etenim Synagogas ingressi, ex scripturis probarunt Jesum verum esse Messiam. Sic Paulus Act. IX. 22. confundebat Judæos *συμβιβάζων*, collatis scripturis evinocens hunc esse Christum. Sic Petrus in Concione sua, post Christi ascensionem habita, doctrinæ Evangelicæ fidem & auctoritatem conciliaturus, ad prophetica testimonia provocat. Actor. II. 16. seqq. Illustre exemplum studii in scriptura referunt. Act. Ap. XVII. v. 11. de Berrhoensibus, qui ex instituta sermonis Apostolici & scripturæ V. Testamenti collatione judicaverunt, Apostolorum testimonia de Christo, testimoniis Moysi & Prophetarum esse consentanea. De Corinthiis Paulus adserit, quod divites sint omni verbo, quod vel auditu vel lectione, suarum divitiarum ipsos verè participes fecit. 2. Cor. VIII. 7. Hujus scientia *liberos* quoque imbuebant, sic Timotheo procul dubio a pia matre & avia cœlestis scripturæ doctrina fuit instillata. 2. Tim. III. 15. coll. I. 5.

*Praxis Ecclesie Apost. in legenda Scriptura S.*

§. 5.

Talis erat Ecclesie praxis cum adhuc in incunabulis esset; in sequenti ætate, qua adhuc purior fuit, ardorem hunc in scripturæ studio etiam viguisse, monumenta historiae Ecclesiasticæ nobis fidem faciunt. Quam præclare de ea senserint Vet. Christiani & imprimis venerandus Patrum Chorus, doctorum Ecclesie scripta testantur, ex quibus te-

*Patrum sententia de Scriptura S.*